Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26468
Copyright: Admont, Benediktinerstift

LBWINVS. PRESPIT.
INDIGNVS. NON. INFACTO. NOMEN. POR
tans heremite. sed tantummodo solo nomine.
Arnoldo parisensi canonico. et suo fidelis
simo amico optat gloriam. et pacem sempiternam.
O dulcissime pater. ex quo tempore promerui
gratiam uestre misericordie, quamuis preces orationis mee apud dominum sint in
digne, pro uobis tamen exoro misericordiam dei nostri. ut uos faciat secum post hanc
uitam feliciter regnare. et ut gratia dei semper uos preueniat in operibus uestris.
et misericordia subsequatur. ut intenti diuinis mandatis. possitis adimple
re bona que desideratis. Igitur quia certamen dulce habetis scriptu
ras sanctas audire. et frequenter loqui de exemplis sanctorum patrum.
uolui uolui uobis aliquantulum scribere de his sicut mihi precepistis. quamuis uos
non opus sit uobis a me hoc audire. quia apud uos habetis pasto
res prudentissimos. et totius sapientie clarissimos. Omnia
tamen que in hoc libello scripta sunt. ex meo proprio sensu non cogitaui. sed
diligenter in libris pluribus relegendo. hec omnia scripta inueni.
Pro certo tamen scio. si aliquis nostrorum deo uolente. omnia que hic sunt co
adunata. posset adimplere. sine dubio uideret lumen
eternum. Modo dulcissime pater cum mellitis [illegible] uerbis
moneo uestram sanctitatem et intencionem. ut uos filii et alii uo
biscum sepius legatis. et quantum dominus dederit [illegible] adimpleatis